

exercitus. Hermannus palatinus comes Saxonie, lantgravius Thuringie. Cunradus marchio de Landesberch. Theodericus marchio Missnensis. Albertus marchio Brandemburchensis. Henricus de Chalendin marechalcus inperii. Comites vero et magnates aderant quam plures. — —

5

## 29.

*König Philipp beurkundet den mit König Pilipp von Frankreich eingegangenen Freundschaftsbund. Beschworen von einer Anzahl Fürsten, darunter vom Grafen Dietrich von Grotzsch.*

Worms, 1198 Juni 29.

*Gedr.: Pertz, Mon. Germ. 4,202. Die verderbt überlieferten Namen hier corrigirt. Böhmer-Ficker 18.*

10 — — Id etiam de mandato nostro dilecti principes nostri Conradus Wirceburgensis, B[ertholdus] Metensis, Diethelmus Constantiensis, episcopi; Theodericus quoque de Greuch, Fridericus de Ceolre, Hartemannus de Kirchberg, Godefridus de Velingre, Everardus de Everstein comites et de latere nostro Trusardus camerarius noster, Guarnerus de Rossewach, Warnerus de Bollandia, Warnerus de Cangen milites jura-  
15 verunt, quod bona fide studebunt, quod hec a nobis observentur et teneantur. Id quoque adhuc unum archiepiscopum et unum episcopum iurare faciemus.

Datum Wormatie III. kalendas iulii, anno domini MCLXXXVIII, regni vero nostri primo, per manum Conradi imperialis aule protonotarii.

## 30.

20 *Landgraf Hermann bestätigt die von Besa von Rotenburg dem Kloster Iechsburg gemachte Schenkung des Dorfes Boesa.* 1198 [nach Juli 25].

*Hdschr.: Kop. Pap. (Saec. XV.) Landesarchiv Sondershausen (A) und Staatsarchiv Magdeburg (B).*

*Gedr.: Mühlener, Bergschlösser 123.*

*Ann.: Landgraf Hermann kehrte erst am 25. Juli 1198 aus Palästina zurück. Vergl. No. 28.*

25 In nomine sancte et individue trinitatis. Ego Hermannus dei gratia Thuringie lantgravius et Saxonie comes palatinus. Notum facio universis Christi fidelibus tam posteris quam presentibus, quod quedam libera matrona nomine Besa patrimonio ipsius in confinio [loci] nativitatis sue, quod Longewissen dicitur, in pecuniam vendicione redacto<sup>a</sup>)  
30 curtem et vineam cum tribus mansis et dimidio in villa, que vocatur Besa, titulo comparavit emptionis, que, dum heredis successionem desperaret et studio sacre devotionis incessanter proficeret, considerata tenuitate Iechenburgensis ecclesie divina inspiratione circa ipsam  
35 pie compassionis affectu feliciter incaluit et predicta bona cum universis attinentiis suis canonicis eiusdem loci ad augmentum cottidiane refectionis cum viro ipsius Helmberto de Rotenburgk libero milite nichilominus annuente et sociata manu secum tradente libera et perpetua donacione pro remedio anime sue tradidit. Postmodum vero cursu vite sue

30. a) rectacta A. retacta B.